



Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Q. 15. Quid faciet, qui obligatus est ad plurimas Missas, quas omnes
legere non potest.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42624

nam pro Defuncto debet minùs differri , quām
pro vivo, cūm defuncto gravissimum incom-
modum sit, carere levamento in tantis pœnis.
Item pro necessitate , quæ non patitur moram,
v. g. pro præsenti periculo vel infirmitate ad-
huc minùs differri debet, ut patet, & ideo Urba-
nus in suo decreto mandat, non plures Missas
fuscipi, quām quæ *inrra modicum tempus* possint
legi.

I56. Q. 15. *Quid faciet , qui obligatus est ad pluri-
mas Missas, quas omnes legere non potest.* R. Im-
primis peccavit tot onera acceptando, sed sup-
posito, quòd acceptarit , & stipendia illa con-
sumperit, ita ut nec per se possit satisfacere ,
quia alias Missas legere debet , nec per alium,
quia pecuniam non habet, conari debet satisfa-
cere, quantùm potest, v.g. gratis perendo Missas
ab aliis, si speret obtinere , quotidianas Missas
offerendo, ut prosint, quantùm possunt, illis, à
quibus accepit ea stipendia , applicando his ,
quantùm licitum erit, partem specialissimam si-
bi competentem, item eisdem applicando alia
opera, v. g. jejunia, orationes , demum etiam
audiendo Missas,eisque applicando fructum.

I57. Q. 16. *An Sacerdos possit pro libitu disponere de
illis pecuniis , quas accipit pro stipendiis Missarum.*
R. Posse, quia sunt veluti fructus propriæ in-
dustriæ & laboris. *Nec obstat , quòd fortè ad tæ-
les Missas stipendiarias teneatur ex Capellania
collativa , nam adhuc hi fructus computantur
inter bona quasi patrimonialia, quia acquirun-
tur ratione proprii ministerii, Sot. Nav. Vasq.
Sanch. Lugo, Diana, Quarti, Henao supra Parer-
go 30.*

I58. Q. 17. *Quid dicendum sit de illo , qui accepto
stipendio*